DISSERTA

DE

POLYTHEISMI V

APUD

HEBRAEOS ANTE

SCRIPSIT

CAROL. RUDOLPH. G

PHILOSOPH. DOCT

GOTTINGA

TYPIS DIETERIC

MDCCCXXX.

RTATIO

E

MI VESTIGIIS

UD

ANTE MOSEM

IPSIT

PH. GUIL. KLOSE,

H. DOCTOR.

TINGAE,

TERICHIANIS.

CCXXX.

Multum disputatum est de prima religionis inter homines specie; plures scriptores primas hominum ideas de Deo ad Monotheismum se referre putant, sed plerique Polytheismum qualicunque tandem forma tamquam initium omnis religionis statuunt. Quae opinio posterior multis sane speciosis argumentis nititur; quia scilicet Monotheismus multo perfectiorem de numine ideam quam Polytheismus manifestat. Hic puerili hominum aetati magis convenire, ille autem demum cultu animi humani jam ulterius progresso in hominum mente exoriri posse videtur. Tum haud spernenda argumenta, quae opinionem illam confirment, nobis tradit historia cognitionum humanarum et religionis apud omnes populos. Ut enim omnes cognitiones a parvis initiis ad summum fastigium perductae sunt, ita etiam secundum historiam homines in notionibus ad religionem pertinentibus sensim sensimque a Polytheismo ad Monotheismum, primo quidem falsum — eum dico, secundum quem familia aliqua vel populus unum quidem Deum colit, sed alios homines alios vere Deos adorare putat — et ab hoc tandem ad Monotheismum purum, quo unum omnium rerum creatorem et gubernatorem esse homines credunt, progressi sunt. Attamen haec documenta speciosa magis esse videntur quam vera. Non negamus illum a Polytheismo ad Monotheismum progressum, sed sane quaeri potest annon exstiterit ante

Polytheismum jam Monotheismus in hominum animis? Quod enim ad historiam cognitionum attinet, considerandum est, diversas esse vias intellectus et sensus interni, quas in ipsis excolendis ingrediuntur homines. Ille experientia et cogitando excolitur, huic autem jam omnia immediate insunt, intellectus igitur est munus, quae in sensu interno quasi dormiant, excitare; sed quia nondum satis excultus est sensum illum ab initio capere non plane potest, sed in multiplices errores incidit, et postremo tantum gravissimis erroribus liberatus ad primas ideas, quas sensus internus quasi suspicatus erat, summa cum persuasione revertitur. Eadem via humanae cognitionis se nobis offert, si humani generis historiam cum illa singulorum hominum comparemus; primo infans omnia inter se confundit, tum res inter se distinguere discit, sed quia facultate sua distinguendi gaudet, ulterius in discernendo aberrat, et postremo tantum homo vinculum unitatis, quod omnia, aut quod partes inter se conjungit, intelligere potest. Sane ergo Polytheismus ad puerilem humani generis aetatem pertinet, sed non ad infantium. Vias illas varias, quibus animus ad veram unitatem redire studet, in multis religionis speciebus historia nobis tradit, sed ad infantium aetatem historia ascendere non potest, quia id temporis historia non erat. Omnium populorum historia antiquissimi temporis e mythis composita est, sed in his Monotheismus primus inesse non potest, quia ipsi jam sunt primi meditationum fructus; attamen probant omnino illam hominum conditionem exstitisse, dum primam generis humani aetatem tamquam auream describunt, quam majorum traditionibus cognitam habentes variis modis exornant. Ita etiam in mythis Hebraicis hujus temporis vestigia invenimus, quamquam hi mythi tempore illo jamdudum praeterito scripti sunt, et multo post demum ea forma induti, qua nobis ab autore, qui illos collegit, cum ideis suis permixti traditi sunt. Quoniam autem autor mosaicum Mo-

notheismum secutus est, in iis tantum locis Polytheismi vestigia reperire possumus, quae ipsi fere invito exciderunt, vel mythos hac forma cognitus continent. Pauca igitur Polytheismi apud Hebraeos documenta habemus, sed satis ad probandum, in Geneseos libro Polytheismi vestigia adesse. Praeterea tenendum est, Hebraeos antequam Moses rempublicam theocraticam instituit et Monotheismum purum populum docuit, falsum Monotheismum omnino tantum cognovisse. Ad has sententias probandas necesse est, nos loca quaedam libri Geneseos, consilii nostri quidem rationem tantum habentes, explicare, tum breviter historiam notionis de Deo, quam Hebraei ante Mosem secuti sint, quatenus ad Polytheismum vel falsum Monotheismum se inclinavit, describemus.

In illis locis explicandis vocabulum אלהים, quia est gravissimi in nostra re momenti, nos ducet, quamvis negari non possit, etiamsi hujus vocis interpretatio doceat, eam plures Deos simul complecti, concludendum tamen non esse, Hebraeos plures Deos coluisse, quia tamquam jam dudum usitatum vocabulum, Deos significans, ab Hebraeis sine illa notione, quae haec vox apud gentiles habuit recipi potuit; immo etiamsi gentilium Deos pro vere Diis non habuerunt Hebraei, vocem tamen illam ad eorum idola transferre potuerunt, sicuti etiam nos Graecorum et Romanorum numina Deos vocamus, quamquam eos fuisse negamus. Attamen ex hoc vocabulo simul cum aliis historiae monumentis cognoscemus, Hebraeos primo tempore plures Deos statuisse.

Vocem אלהים apud Hebraeos ad varias res relatam invenimus, nam vel Jehovam, et quidem saepissime, significat, vel gentilium Deos Exod. 20, 3 et 23. [1]) cf. Deut. 4, 28. Exod. 3, 18. Deut. 27, 5 et 6. et saepius; sed etiam reges

---

1) לֹא־יִהְיֶה לְךָ אֱלֹהִים אֲחֵרִים עַל־פָּנָי.

vel magistratus hoc nomine appellantur Ps. 82, 1 et 6. Adhibetur quoque haec vox ad rem magnam et mirabilem describendam Gen. 30, 8. Ps. 68, 16, ut uno verbo dicam, omnia, quae humanam naturam superant, ab Hebraeis אלהים vocantur ita Judic. 13, 22. angelus quamdiu forma humana indutus est מלאך יהוה nominatur, eam autem in adscensu in coelum cum divina mutans אלהים vocatur, ita etiam 1. Sam. 28, 13. spectrum Samuelis אלהים vocatur. Sed etiam metaphorice, qui reliquis hominibus ingenii viribus antecellunt, אלהים appellantur ita Moses Exod. 4, 16. 7, 1. Notione igitur vocabuli אלהים enuntiata est magnitudo et excellentia, quae illis, ad qnos אלהים refertur, terrorem injicit, et reverentiam in iis provocat; quam vocabuli vim e radice ejus, quam in lingua Arabica invenimus, ألہ, attonitus fuit, stupuit cognovimus. A majestate primam numinis notionem apud Hebraeos ductam fuisse ostendunt praeterea omnia alia nomina, quae Deo tribuebantur, ut אל, אל עליון, אל שדי, primum autem animi motum religiosum Hebraeorum fuisse terrorem patet e loco libri Geneseos 30, 42 et 53, quo Isaaci Deus פחד יצחק nominatur. Quum propter hanc vocem אלהים antiquissimis Hebraeis Polytheismi culpa objecta sit, jam investigandum an in isto vocabulo Polytheismi vestigia recte nec ne reperiri possint.

Vocabulum אלהים et ipsum secundum formam pluralis numeri saepe etiam cum numero plurali conjunctum invenimus, (quamquam etiam cum singulari, sed de hoc infra) de cujus pluralis interpretatione VV: DD. inter se discrepant, ut eam opinionem omittam, quae ex hoc plurali numero trinitatem eruit. Multi dicunt, esse pluralem excellentiae sive majestaticum, (de cujus existentia disserere ad hunc locum non attinet) sed hoc mihi verisimile non esse videtur. אלהים est significatio numinis in universum, neque Deum quendam singularem sicuti Jehovam describit neque Deum

creatorem et gubernatorem mundi, sed credo, omnes Deos, qui ab hominibus adorabantur, hoc nomine contineri. Si enim אלהים pluralis majestaticus esset, sane hoc nomine paganorum Deos Hebraei non ornavissent, sed si Deum quendam insignem populi cujusdam nominant, singulari numero usi fuissent, quum tamen singularem tantum adhibeant ad Jehovam describendum, idque poëtae, qui poetico ardore inflammati eo libentius sane illo plurali Jehovam ornavissent, si numerus ille pluralis pluralis majestaticus fuisset; sed contra diserte Hebraei paganorum Deos ab Jehova discernunt eo, quod, si de illis, de singulis quoque, loquuntur, vel etiam coram paganis de Jehova, quem pagani non cognitum habent, אלהים cum plurali numero conjungunt, ita Exod. 32, 4. [1]) et 8. Gen. 20, 13. 1. Regg. 12, 28. 1. Sam. 4, 8. 2. Regg. 19, 12. Eodem modo de singulis paganorum Diis 2. Regg. 1, 2. et 3. [2]) 1. Regg. 11, 33. Judic. 16, 23 et 24. quidem אלהים, dum ibi de Deo quodam singulari Philistaeorum sermo est, cum singulari numero conjungitur, sed ibi Philistaei ipsi loquuntur. Praeterea quoque Hebraei hunc morem non tenacissime tenent, quia partim pluralis forma hujus vocis facile eos ad numerum pluralem adhibendum adlicere potuit, partim autem singuli paganorum Dii singularem numerum postulare viderentur.

Sed si ita est, ut אלהים plures Deos significet, quaeri potest, quam ob rem Moses, qui purum Monotheismum tanto cum studio apud Hebraeos constituere conatus erat, ut omnes imagines vel Jehovae ipsius quam severissime vetaret, hoc vocabulum non condemnaverit. Sed respondeatur, vocabulum jam usitatum ad notionem aliquam omnibus cognitam desig-

---

1) ויעשהו עגל מסכה ויאמרו אלה אלהיך ישראל אשר העלוך מארץ מצרים

2) בבעל זבוב אלהי עקרון

nandam tam facile abrogari non posse; tum Mosis quoque intererat, Judaeos אלהים, quos usque ad hoc tempus adoraverant, ad Jehovam referendos esse intelligere, qua accommodatione eo facilius iis persuadere potuit. Contra autem ea re, quod Moses nomine יהוה usus est, probatur, eum valde timuisse, ne Hebraei, quam diu isto, nullis finibus circumscripto nomine Deum designarent, plures Deos colerent. Propter hunc timorem etiam illa formula loquendi יהוה אלהים exorta esse videtur cf. prae aliis locis Gen. 2, 4–3, ad finem usque, sed de hoc loco infra. Locus autem gravissimi momenti mihi esse videtur celebris ille Gen. 6, 1–8. qui mihi saltem non tam perspicuus foret, si בני־האלהים essent filii Jehovae. De hoc loco mihi accuratius disserere licitum sit, et quia pro caussa mea mihi magni momenti esse videtur et quia plures etiam hoc tempore בני־האלהים Sethitas esse interpretantur.

Narratur enim Gen. 6, 1–8. Hominum numerum valde crevisse, filiasque iis natas esse; quarum pulchritudine בני־האלהים captos illas sibi uxores duxisse e concubitu autem בני־האלהים cum hominis filiabus gigantes genitos esse, tum petulantiam tantum et omnia mala turbulenta in terris regnasse ita, ut Deus iratus omnes homines exstinguendi consilium cepisset.

Hos בני־האלהים non esse Sethitas, jam ex eo probari posset, quod in nullo loco V. Tti homines vel Israelitae ita nominantur; sed, si intima illa conjunctio patris cum filio ad illam Jehovae cum Israelitis omnino vel cum singulis hujus populi hominibus transfertur, semper בן cum Jehova conjungitur ita Exod. 4, 22. Deut. 14, 1. Jes. 43, 6. Jer. 31, 9. 2. Sam. 7, 14, sed prae ceteris locis hic usus probatur Ps. 82, 6., ubi judices vel magistratus in membro secundo בני־עליון vocantur, exspectemus igitur propter parallelismum in primo membro בני־אלהים scriptum esse, sed אלהים tantum legimus,

vide praeterea Ps. 2, 7. Prov. 14, 26. Sed etimasi בני־האלהים aliquo loco homines significet, hoc loco vocabulum illud Sethitas indicare credere non possim, tum enim בנות האדם sane essent filiae Caïni, sed Sethitae בני־האלהים nominati essent, quia erant pii homines, mulieres igitur illae Caïniticae בנות האדם vocarentur, quia erant mulieres scelestae et impiae, sed hoc sensu אדם numquam reperitur, — si enim אדם voci איש opponitur, semper stirpis aut gentis tantum ratio habetur, numquam autem virtutis vel religionis — vel illi essent cultores Dei, hae autem cultrices hominis, quod idem esset, si omnino sensus tum in hac dicendi formula inesset. Deinde si בני־האלהים Sethitae essent, non intelligi posset, quomodo e matrimonio eorum cum uxoribus e stirpe Caïnitica גברים exorirentur — גברים potentes h. l. idem est quod נפילים cf Num 13, 33 ubi Syrus interpretatur ܓܢܒܪܐ LXX et Vulgat. gigantes — quum tamen verisimile esset, liberos e matrimonio hominum piorum cum scelestis virginibus pios fieri homines, vel saltem magis pios, quam e matrimonio scelestorum Caïnitorum cum scelestis virginibus. Dici quidem posset הגברים hoc loco non eosdem esse, qui et הנפילים nominantur, vel saltem non e concubitu בני־האלהים cum בנות האדם natos esse, quia tradatur, jam antea הנפילים fuisse in terra. Sed omnis haec narratio docet, conjunctionem בני־אלהים cum בנות האדם tamquam caussam describi, ex qua viri illi violenti et superbi orti sint, quorum res gestae Dei iram ita accendebant, ut totum fere genus humanum exstingueret. Si porro נפילים jam antea in terra fuissent, tota haec narratio de בני־האלהים supervacanea esset. וגם igitur h. l. fortasse interpretandum est: *et quidem*, sicuti saepius vim confirmandi habet Gen. 20, 5. 27, 34. 4, 26. etc., quamquam quidem in omnibus his locis hac formula loquendi res aliqua prae aliis cum vi quadam describitur, hoc loco autem omnia alia excluduntur. Sed si h. l. duo diversa temporis

spatia, quibus הנפילים in terra fuerint, significarentur, scriptum sane esset וגם — והנפילים. Postremo autem si interpretemur בני־האלהים Sethitas, non intelligi possit, quamobrem autor non scripserit בני־יהוה vel potius בנים ליהוה cf. Deut. 14, 1. בנים אתם ליהוה, quum in toto hoc loco a commate primo usque ad octavum Deus semper Jehova nominetur. Sed ad hanc objectionem responderi non potest, etiamsi בני־האלהים angelos Jehovae esse interpretemur, immo difficilior est locus, sit ita interpretandum esset, ut אלהים idem esset quod Jehova. Cur enim tum angelos suos ita cum illo conjunctos, ut tamquam filii ejus describantur, non a terra retinet? Sed ne nutu quidem significatur, Jehovam ob hanc rem, quam tam aegre fert, angelos punivisse. Dici quidem possit, angelos nullo V. Tti loco בני יהוה nominari, autor ergo h. l. quoque de angelis loquens et quidem rationem divinae eorum naturae habens בני־יהוה eos vocare non potuit, sed tantum בני־הלהים. Sed jam quaeri potest, quamobrem hanc formulam dicendi numquam repeperiamus, et sane nihil responderi potest, nisi formulam בני־האלהים, antequam Hebraei unicum tantum Deum adorarent, in usum venisse, postea autem hanc formulam dicendi Monotheismum sequentes scriptores Hebraici ad Jehovam non transtulerunt, quia tam intimam conjunctionem, quam vox בן indicat inter Jehovam et nuntios ejus describere noluerunt. Propterea hanc vetustam formulam loquendi postea apud poëtas tantum legimus et quidem, ubi res in coelo gestas describunt. Sed si secundum nostram interpretationem vox אלהים omnes Deos omnium populorum in se continet, manifestum est בני־האלהים nullo alio modo cum Jehova conjunctos esse, nisi natura divina; tum appareat, quam ob rem Jehova nullo modo in בני־האלהים animadvertit, quia enim ipsi subjecti non sunt; nam etiamsi hae poenae ad hanc narrationem, quae de caussis diluvii humanisque tantum rebus disseret, non pertinerent, nutu tamen

scriptor indicavisset בני־האלהים quoque punitos esse. Illi sententiae minime obstat si בני־האלהים aliis locis e. c. Job. 1, 6. 2, 1. 38, 7. Ps. 89, 7, Ps. 29, 1. tamquam Dei ministri describuntur, considerandum enim est, haec loca omnia, si exceperis Ps. 29, tempore exilii vel paullo ante scripta esse, quo tempore Hebraei, saltem eorum scriptores, multo puriorem Monotheismum secuti sunt; etiamsi igitur formulas dicendi e Polytheismo ortas retinebant, notiones tamen, quae illis inhaerebant, plane mutaverunt. Si igitur אלהים hoc loco distincti sunt a Jehova, et בני־האלהים non sunt angeli Jehovae, sed omnino naturae coelestes, hic mythus docet, Hebraeos primo tempore multas coelestes naturas esse putavisse. Hebraeos autem illo tempore non tantum plures Deos esse credidisse, sed etiam illos ipsos coluisse, ostendit Jos. 24, 2. [1]) 14 et 15, ubi diserte dicitur Hebraeorum majores alios Deos coluisse.

Sed de hoc loco hactenus, pauca praeterea loca attingere mihi licitum sit, quibus probetur, vocabulum אלהים plures Deos significasse, et primo quidem Gen. 2, 4–3, ad finem usque adeamus. Hic Jehova semper יהוה אלהים nominatur, in colloquio tantum serpentis cum muliere אלהים sine יהוה scriptum est; serpens fortasse יהוה omittit, quia hoc sanctum nomen a tali ore pronuntiari non posset — dici enim non potest, serpentem Deum, qui hoc praeceptum dederat, non novisse, nam ipse statim hoc praecepto colloquium illud incipit — et Eva respondens, Jehovam אלהים tantum nominat, quia non decuisset, sanctum nomen coram animali tam aversando pronuntiari. Sed serpens in oratione sua bene distinguit, primo enim quum de Deo illo satis cognito, qui primos homines illius arboris fructus edere vetuerat, loquatur,

[1]) Jos. 24, 2. בעבר הנהר ישבו אבותיכם מעולם תרח אבי אברהם ואבי נחור ויעבדו אלהים אחרים

אלהים cum singulari numero, tum autem de natura divina loquens אלהים cum plurali conjungit. Autor autem ipse semper יהוה אלהים utitur, quo indicaturus est, Jehovam esse אלהים; fortasse capitis primi rationem habuit, ubi אלהים mundum creasse docetur, nunc capite secundo vagum illud nomen certis finibus circumscribit, ne Hebraei putarentur, Deos vel alium Deum mundi creatorem esse. Autor ille sive ignotus plane scriptor sit, sive ille, qui priores mythos collegit, sane eo tempore scripsit, quo יהוה non tamquam unicus Deus adorabatur, quia illi אלהים non sufficere videbatur ad Jehovam describendum, vel יהוה ad Deum creatorem mundi nominandum, sed conjunctione utriusque vocabuli totam notionem circumscribendam esse putavit. Hoc etiam tempore mos apud Hebraeos Deum in precibus יהוה אלהים alloquendi exortus esse videtur ita 2. Sam. 7, 22. 25 et 28. Ps. 80, 5 et 20. Ps. 84, 9.

In his locis supra adlatis vocabulum אֹלהים jam per se plures Deos indicare cognovimus. Quae opinio multo magis confirmatur iis locis, quibus אלהים cum plurali numero verbi conjungitur — leguntur quoque adjectiva voci אלהים plurali numero addita, sed verbum laxius cum substantivo conjunctum eo satius opinioni nostrae documentum est — ita Gen. 1, 26. 3, 22. 11, 5. cf. v. 7 et 8., e quibus locis simul appareat, autorem consulto ita scripsisse. Nam haud parvi habenda distinctio observari potest. Proponitur enim his locis conventus quidam Deorum, in quo Jehova semper solus loquitur, et, dum autor semper אלהים cum numero singulari conjungit, Jehova ipse loquens numero plurali utitur, vel eandem sibi, quae reliquis est divinis naturis sapientiam aut intellectum esse prodit, dum dicit Gen. 3, 22. האדם היה כאחד ממנו

His argumentis omnibus perpensis vix negari posset vocabulum אלהים ideas polytheisticas apud priscos Hebraeos

prodere, quod praeterea quoque patriarcharum historia docet, quorum Monotheismus angustis sane finibus circumscriptus est. In tali enim Monotheismo, qui alibi alios Deos esse concedit, cultores illius Dei ad aliorum Deos adorandos permultis caussis permoveri possunt, propterea Mosem Jehovam tamquam honori suo invidum Deum, qui zelo exardescat, si Hebraei alios Deos colerent, describere necesse erat.

Antequam autem historiam patriarcharum attingamus, pauca verba faciamus de genealogiis, quas Gen. 4 et 5. legimus. Sunt enim qui putent mythologiam quandam h. l. tradi. Dicunt enim, si aliorum populorum mythologia cum his genealogiis conferatur, manifestum esse, eadem nomina, quae ibi Diis tribuantur, hoc loco posteriorum Adami nomina referri: ita confertur Jehova cum Jove, Jubal cum Apolline, Tubalkain cum Vulkano. Sed si illi, qui ab aliis populis in Deorum numerum referuntur, apud Hebraeos tamquam Adami posteri describuntur, haec res nos potius doceat, Hebraeos non tam facile omnes illos, qui reliquis hominibus vel corporis vel animi viribus antecellerent, pro Diis habuisse, et si haec nomina in traditionibus multorum populorum conservata vere inter se cohaerent, sane putandum, Hebraeos in narranda horum virorum historia ad veritatem propius accedere, et ab iis potuis ad alios populos haec nomina transiisse, quam vice versa.

Sed tandem patriarcharum historiam adeamus. Simulae Semitharum stirpis autor שֵׁם a scriptoribus nominatur, legimus etiam, illos sibi proprium Deum habere, reliquos autem alios Deos; quum enim Noah filiis suis benedicat, optat, יהוה אלהי שם eum beneficiis accumulare, Japhetis autem Deum אלהים tantum vocat. An haec idea illius tantum temporis, an vel scriptoris sit incertum est, eodem modo in Abrahami, Isaaci et Jacobi historia saepe in ambiguo res est, quia scriptor suas et sui temporis ideas cum illis patriarcharum permiscet,

nos igitur praecipue ex ipsis patriarcharum verbis a scriptore traditis exhaurire necesse est.

Tharah, pater Abrahami, quem Josua 24, 2. plures Deos adoravisse dicit, cum familia e Chaldaea proficiscitur, sed in itinere in Mesopotamia moritur, tum Abrahamus cum uxore et fratris filio in Palaestinam migrat, Nachor autem frater ejus cum familia remanet. Jam postea Abrahamus hujus migrationis rationem habens Abimelecho dicit Gen. 20, 13. אלהים התעו אתי, אלהים h. l. non referendum est ad Jehovam, quamquam Abrahamus coram gentili loquatur, nam verbum התעה numquam omnino utuntur Hebraei, si Jehovam cultores suos ad iter faciendum excitasse dicunt, sed הוליך Deut. 8, 2. Jes. 42, 16. et העלה Exod. 3, 8. 1. Sam. 8, 8. et saepius, nec ita loqui poterat Abrahamus, quia Jehova ipsi praescripsit, ut in terram Canaan migraret; verba autem illa indicare, Abrahamum propter idololatriam Chaldaeam reliquisse, verisimile non est, quia ubique eo tempore hic cultus erat. Multo verisimilius est, Abrahamum h. l. itinera sua ad naturas coelestes, sicuti semper in historia antiquafit, tamquam eorum jussu facta retulisse. Postea tum foedus sicuti Noah cum Deo, qui eum beneficiis cumulaverat iniit Gen. 15, 18; an Melchisedeci cultus, qui sacerdos erat Dei omnipotentis Gen. 14, 18, ansam fortasse ei praebuerit, necne, edicere non possumus, quia tota haec narratio fortasse multo post excogitata est ad Hebraeos persuadendos, Hierosolymis jam eo tempore unius Dei cultum fuisse. Si autem haec traditio veram historiam contineret, verisimile sane esset, hoc demum tempore Abrahamum unici Dei colendi consilium cepisse, nam ex Josua 24, 2. 14 et 15. intelligimus, Hebraeos eo tempore credidisse, majores suos, dum trans Euphratem habitarent, plures Deos coluisse. Huc accedit, quod et Abrahamus ipse et nepos ejus Jacobus putant, Deum suum in Palaestina tantum esse, neque hujus terrae fines transire

Gen. 20, 11. 28, 16. Ceterum ex tota narratione de vita Abrahami apparet, ipsum hunc a se electum Deum magna cum fide coluisse, quia nusquam ne vestigia quidem invenimus, eum ad cultum aliorum Deorum se inclinavisse; non minus autem cognoscimus אל שדי proprium tantum ipsi Deum fuisse, et notiones de Deo, domino terrae coelique seriori tempori adtribuendas esse, quippe quae in scriptis Elohistae non leguntur, neque cum aliis Deo omnipotenti non accommodatis ideis conciliari possunt cf. Gen. 18, 1—8 cll. com. 14. Deus Abrahami autoritatem in reliquos quoque homines praeter cultores habet, sed inprimis tantum in rebus ad hos pertinentibus Gen. 12, 7. 20, 3.

De Isaaci notionibus religiosis nil novimus, nisi hoc, ipsum eundem Deum, quem Abrahamus coluerat, adoravisse, et ejus Deum semper פחד יצחק vocari. Sed hoc nomine sicuti formula illa dicendi: Deus Abrahami, Deus Isaaci, et Deus Jacobi indicatur, Deum cogitatum esse tamquam eorum Deum tutelarem, qua re igitur alii Dii non exclusi sunt, sed potius agnoscuntur.

Vita Jacobi plura documenta praebet, illum non tanta cum fide Deum Abrahami secutum esse. Patriam enim vix relinquenti Deus in somno apparet, Jacobus stupet et miratur, Jehovam quoque hoc loco esse, tandem ei promittit, si Deus ipsum adjuturus et ad patrem reducturus esset, se illum colere velle. Jacobus igitur plane nescire videtur, se Jehovae circumcisione sacratum et foedus ab Abrahamo et Isaaco cum Jehova initum esse, secundum quod summa felicitas ipsorum posteris promissa erat. Monotheismum quidem jam invenimus, quia Jacobus sibi Deum unum tutelarem eligit, sed videmus, quemque sibi Deum eligere, quocum foedus ineat, dum ei sacrificia offert eumque adorat, ut ab illo beneficiis cumuletur. Dum Jacobus apud Labanem erat, Polytheismo plane favisse videtur, nam tum demum, quum

—

Deo, qui ipsum in itinere e
constitueret et sacrificia offer
vere jussit Gen. 35, 2 - 7.

Omnino igitur vita patri
religione valde fluctuavisse in
mum, quod mirabile sane v
populis Polytheismo deditis ci
prudenter puri Monotheismi
rum notionibus accomodavi
Abrahami, Deum Isaaci et D
6. 13. 14. 15. Hic impurus
plebe usque ad tempus exilii
theismum degeneravit, docti
legis mosaicae purum Monoth

—

itinere et Mesopotamia adjuverat, altare
icia offerret, familiam suam idola amo-
2 - 7.

vita patriarcharum docet, ideas eorum de
iavisse inter Polytheismum et Monotheis-
e sane videri non potest, quia undique
deditis circumdati erant; propterea Moses
notheismi cultum instituens se Israelita-
ccomodavit, Jehovam tamquam Deum
saaci et Deum Jacobi describens Exod. 3,
impurus Monotheismus in Hebraeorum
pus exilii viguit, et saepissime in Poly-
it, doctiores tamen Hebraei ad normam
n Monotheismum stricte sequebantur.